
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS
HYDROTHORACEM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
pro
Doctoris Mediciaae et Chirurgiae Laurea
RITE OBTINENDA
in celeberrima
ACADEMIA JOSEPHINA,
publicae disquisitioni submittit

Joachimus Eques de Juchnowicz Hordyński,
Galicianus Kutkowcensis,
Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Maji anni 1843.



Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

CLARISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO KOTTMAYER,

Medicinae et Chirurgiae Doctori,

Caesar. reg. Apost. Majestatis Consiliario, dirigenti Protomedico castrensi in Austria superiore et inferiore, perennis delegationis rei medicae castrensis assessori, meritorum civilium nummo aureo magno decorato, plurium societatum eruditarum sodali etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, HUMANITATE, BENIGNITATE

aeque ac

ANIMI CELSITATE PROBITATEQUE CANDIDISSIMA

insigni

IN AETERNAE GRATITUDINIS ET VENERATIONIS

MONUMENTUM

IMBECILLES HASCE LABORUM PRIMITIAS

offert

devinctissimus
Auctor.

Hydrothorax*; hydrops pleurae et mediastini;* ***Hydropleura****;* Brustwassersucht.

§. 1.

Sensu latissimo intelligenda est sub nomine hydrothoracis accumulatio fluidi in penetralibus thoracis, quo sensu etiam Empyema huc referendum. Hic loci pertractanda venit libera fluidi serosi, in uno aut ambobus pleurae saccis accumulatio, hydrothorax legitimus veterum. Datur etiam Hydrothorax saccatus, ubi saccus, quo fluidum includitur, vel ab ipsa pleura, vel a tela propria vel a pseudomembranis formatur. In casibus rarissimis fluidum extra cavum pectoris, nempe intra pleuram costalem et costas ipsas recluditur, veteris hydrothorax spurius. — Occurrunt denique hydatides in cavo pleurae, quae hinc inde faciem externam pulmonum obsident, quaeque ruptae hydrothoracem formant liberum. Accumulatio fluidi contingere etiam potest inter diaphragma et pleuram illud vestiens, imo in ipsis pseudomembranis, quemadmodum in alio textu celluloso infiltratio serosa contingere potest. Hinc inde accumulatur fluidum copiosum intra pulmonum lobos singulos, extus per concretiones pseudomembranosas ligatos.

Characteres anatomici.

§. 2.

Accumulatio fluidi in cavis pleurae productum est admodum variorum morborum, pleurae, pulmonum, cordis, vasorum majorum, intestinorum abdominalium, succuumque massa. Illae variae alterationes primariae, quae inveniuntur in cadaveribus hydrothorace absumptorum, quasque fusius explanasse superfluum foret, fontem proprium atque scaturiginem hujus producti pathologici demonstrant; nonnullis in casibus nullas eminentes alterationes organicas invenire licet; ad summum pleura observatur pallidior laxiorque quam in statu normali, caeterum incolumis.

§. 3.

Non minus differens, quam alterationes morbosam in cavis pleurae causantes exsudationem, est ipsum fluidum. Sub processu pleuritico, sub empyemate fluidum accumulatum plerumque est turbulentum, puriforme, serum aemulans flocculis albuminosis filisque remixtum, imo rubidum sanguinolentum. In hydrothorace passivo sic dicto ex stasibus circuli sanguinis, vitiis cordis etc. oriundo, fluidum est plerumque pellucidum discolor aut candide flavum, non raro etiam turbulentum, rubellum, suffusculum. Secundum diversitatem hujus fluidi distinguebatur Hydrothorax serosus, purulentus, sanguinolentus. Quantitas fluidi a libra una ad quindecim variare potest. Pro maxima parte invenitur fluidum in utroque pleurae sacco collectum, communiter tamen unus pleurae saccus hocce fluido ditior est, quam alter; in hydrothorace ex vitiis cordis oriundo pars dextra thoracis secundum Williams communiter ple-

nior observata est. Mechanici collectionis fluidi effectus sunt: dilatatio cavi thoracis, retrusio et compressio pulmonum, dislocatio diaphragmatis, hepatis, lienis, et cordis. — Saepe oedema pulmonum simul adest.

§. 4.

Datur Hydrothorax mediastini anterioris et posterioris; rarissime tamen fluidum in mediastino colligitur, quin desit in aliis thoracis regionibus.

Symptomatologia.

§. 5.

Symptomata hydrothoracis initio morbi admodum indeterminata, commiscentur plerumque cum symptomatibus aliorum morborum primariorum pulmonum, cordis et vasorum, quibus hydrothorax originem debet.

Symptomata essentialia fluidi in sacco pleurae collecti sunt: dyspnoea, situm denegans horizontalem, aut illum in latere thoracis sani (in hydrothorace unilaterali); insultus asthmatici praecipue tempore nocturno cum repentina ex somno excussione, signa physicalia et dislocationis organorum vicinorum, symptomata hydropis universalia, illa stasis venosae in aliis organis, symptomata circuitus sanguinis vitiati, cachectica, hectica.

§. 6.

a) *Dïspnoea.* Difficultas respirationis unum est ex primis symptomatibus morbi, quae difficultas ut

causam proximam agnoscit, impeditam pulmonum actionem, per adhaesiones, pressionem exsudati stasi junctam pulmonum. Quilibet motus validior, ascensus locorum excelsorum difficultatem dictam adauget, imo processus digestionis sensum causat anxietatis; denique dispnoea evadit constans. Parva quantitas fluidi, ast cito collecta, maximam non raro ponit respirationis molestiam, ex alia parte observantur casus, ubi praesente enormi seri in cavum thoracis effusione, molestiae dictae aut exiguae erant aut omnino deficiebant. Saepe dispnoea tempestate sicca minuitur, regnante humida acuitur. In hydrothorace ad altum evecto gradum, anxietas minuitur, si aegri pedes ex lecto suspendunt, et non raro status ea proportione evadit laudabilior, qua crescit oedema pedum et augetur diuresis.

§. 7.

b) *Insultus asthmatici* cum repentina ex conticinio excussione, nonnullis medicis (Riviere, Piso) pathognomonicum erat hydrothoracis signum, ast immerito; dudum enim jam notum est, asthma non solum associari hydrothoraci, verum esse symptoma variorum pulmonis morborum, cordis et vasorum. Initiante morbo insultus hi asthmatici brevibus intervallis se invicem excipiunt, aegri ex somno excussi, sentiunt validum cardiopalmum, cito ad assumendum situm erectum urgentur, aërem anxio inhiant spiritu; extremitates frigent, labia livent, frons frigido obtegitur sudore, pulsus fit parvus, irregularis, intermittens, tremens; saepe dispnoea per totam noctem durant, aut asthma toties recurrit, quoties aegri somnum capere volunt; interdum aegri plures noctes quieti decumbunt, donec repentino iterum asthmate corripiantur; hi insultus etiam de die insequi possunt; insultu elapso aegri in statum incidunt subsoporosum.

§. 8.

c) *Situs aegri.* Characteristicum symptoma in pluribus hydrothoracis casibus est impossibilitas situs horizontalis vel unilateralis, quia situs talis pressionem fluidi in partem pulmonis adhuc fungentem et eo ipso dispnoeam auget. Symptoma tamen hoc modificationi subjacet, in eo e. g. casu, ubi in hydrothorace unius lateris, lobus alter pulmonum morbose est adflictus, vel ubi praesentibus adhaesionibus pulmonum, fluidum tali ratione distribuitur, ut aegri situm in latere sano non raro praeferant. Communiter aegri situm diligunt cum trunco erecto et paullulum antrorsum incurvato, in ultimis morbi stadiis lectum fugiunt et dies noctesque in sella loricata sedendo consumunt.

§. 9.

Symptomata physicalia. d) *Dilatatio thoracis adflicti.* Haec dilatatio ambitus thoracis et elevatio costarum non raro visu jam detegitur, et mensurata uno aut duobus pollicibus amplitudinem superat normalem; spatia intercostalia saepe supra superficiem costarum eminent non raro fluctuationem detegere sinunt; costae spuriae, quemadmodum hoc sub actu inspirationis profundae fieri consuevit elevantur, hypochondrium lateris afflicti magis est expansum tensumque; hepar, lien non in loco consueto sed infra marginem costarum spuriarum detrusi, praecipue in situ aegri erecto tanguntur; dilatatio in thoracis ambitu inferiori prius observata, nunc passim passimque seorsum ascendit. Causam hujus phaenomeni non solum mechanicae spatii thoracis per fluidum dilatationi unice deberi, verum etiam paralysi musculorum respirationi dedicatorum musculorum intercostalium et diaphragmatis pro paret

in acceptis referendam esse Stokes comprobavit, unde venit, quod dilatatio haec, etiam praesente collectione fluidi enormi, nunquam initiante, sed morbo jam ad altiorem gradum evecto se manifestet, imo saepe fere repente oriantur.

e) *Dislocatio organorum.* Symptomata magni momenti in hydrothorace praebent: dislocatio cordis et mediastini in latus collecto fluido oppositum; depressio diaphragmatis saepe in tam alto gradu, ut fluctuatio in hypochondriis elevatis ascitidem mentiatur, praecipue ubi pressio fluidi in insertionem diaphragmatis ingentes lumborum causat dolores *); et denique dislocatio hepatis, lienis atque ventriculi.

f) *Sonus percussionis.* Cl. Skoda docet, fluidum parva quantitate intra pulmonem adhuc fungentem et parietem thoracis mobilem contentum, tonum percussionis moderare non posse, huncque tonum tunc solummodo evadere vacuum, quando aër ex vesiculis aëreis pulmonum compressis extrursus est, vel praegressa vesicularum per serum aut sanguinem infiltratione, vel denique, quando parietes thoracis fluidum tegentes mobilitatem suam amisere. Initio, in inferiore ambitus thoracis parte tonus obtusior observatur, quam in superiore; communiter soni vacuitas in postica thoracis parte altius ascendit; ad pulmonum radicem, supra et infra claviculam et in postica plagae dictae correspondenti parte, perstante adhuc permeabilitate vesicularum aërearum, audire est sonum tympaniticum; hi resultatus tamen per hydrothoracem saccatum

---

*) In hoc casu diagnosis dubiae suadet Bichat ut in horizontali aegri situ abdomen versus diaphragma promatur, ubidum praesente hydrothorace, talique manipulatione adaucta in pulmones pressione, aegri suffocationis sensationem patiuntur.

et concretiones pulmonum cum pleura costali modificantur. Praesente majore fluidi in cavo thoracis copia sonus ubique vacuus, ubi fluidum subjacet, invenitur, saepe per totum ambitum thoracis excepta pulmonum radice extenditur. Transitus soni vacui in clarum directe correspondet dioptrae fluidi collecti in linea horizontali.

g) *Auscultatio.* Quamdiu fluidi quantitas adhuc parva et pulmo aëri adhuc pervius est, auditur respiratio vesicularis, quae ea ratione imminuitur, qua augetur respiratio puerilis thoracis sani; vox in hoc casu nullum adhuc specialem assumit characterem; ast copia fluidi majori evadente et impermeabilitate pulmonum per compressionem vesicularum aërearum insequuta, evanescit respiratio vesicularis, locum cedens respirationi bronchiali et exiguae bronchophoniae; praecipue intra angulum inferiorem scapulae et columnam vertebralem, et paullulum supra et infra hanc lineam. Denique disparet respiratio bronchialis et bronchophonia, vel propter compressionem non solum vesicularum aërearum, sed et majorem bronchorum per ingentem fluidi quantitatem, vel obliterationem eorum per mucum serum aut sanguinem, in quo ultimo casu varii strepitus percipi possunt. Vibrationes parietum thoracis sub loquela vel sunt debiles vel omnino deficiunt. Sub concussione aegri, vel repentina situs mutatione subjective et objective fluctuatio in illo casu percipitur, ubi cavum thoracis non admodum magnam fluidi continet quantitatem.

§. 10.

h) *Symptomata hydropica.* Symptomata hydrothoracis, hydropi aliarum partium associari possunt, vel ab initio pro se extant et persistunt; symptomata denique anasarcae successu temporis hydrothoracem

insequi possunt, in quo ultimo casu oedema imprimis communiter adgreditur pedes, inde serpens paullatim ad crura et scrotum; nonnunquam scrotum prima et unica offert oedematis signa. Hoc oedema saepe manus utrasque, interdum manum et dorsum partis adfectae et palpebras infestat inferiores *).

In brachio lateris adfecti aegri sensum accusant stuporis, doloris, non raro paralysim motoriam; secretiones sunt suppressae, urina parca, rubella, crassa, sedimentum deponens lateritium, brevi ante mortem nigro rubida; alvus silet, sitis aegrum torquet inexplebilis, fauces sunt aridae, cutis sicca; in ultimis morbi stadiis adparet ascites.

§. 11.

Saepe in hydrothorace pulsus abservatur plenus, durus, medicum minus exercitum ad venaesectionem invitans perniciosam: saepe est intermittens, parvus, frequens; multae pulsus variationes a complicatione dependent morbi cum cordis vitiis. Simili origini debentur quoque, palpitatio cordis, animi deliquia, color labiorum et linguae lividus, varicosae expansiones vasorum capillarium faciei et oculi; symptomata cyanosis, sopor, somnolentia et deliria, quae morbo in ultimis stadiis versante, ex sanguificatione praepedita oriuntur. Macies universalis et labentia virium de die in diem intenduntur, aeger in continuo versans suffocationis metu, aut in statu soporoso tandem e vita discedit sub forma suffocationis, vel placide per paralysim cordis.

---

*) Schroeder van der Kolk oedema palpebrarum inferiorum symptoma hydrothoracis constans sibi infallibile praedicat, ita ut ex adspectu ipso vultus aegri unice malum detegere queat. —

Aetiologia.

§. 12.

Causae hydrothoracis vel sunt ejusmodi, quae hydropis in genere, et eo ipso et hydrothoracis generandi pares sunt, vel ejusmodi quorum effectus ad organa solum thoracis extenditur. Quemadmodum hydrops in genere, ita et hydrothorax quoad originem activum aut passivum characterem prae se ferre potest, unde orta est distinctio hydrothoracis in hydrothoracem acutum (subacutum) et chronicum (torpidum); prior nomen etiam gerit hydrothoracis inflammatorii, quum productum sit irritationis et reactionis erga stasim per illam irritationem excitatam; hic hydrothorax transitum format ad pleuritidem, at nil nisi gradus est pleuritidis; hydrothorax passivus originem debet passivae vel seri sanguinis transsudationi vel paralysi organorum resorbentium.

§. 13.

Characteres diagnostici inter hydrothoracem activum et passivum, praeter causarum praedisponentium et occasionalium dignitatem sequentes sunt:

Hydrothorax activus.	*Hydrothorax passivus.*
Hydrothoracem activum phaenomena irritationis et reactionis antecedunt, excultumque commitantur: febris activa, temperatura cutis adaucta, sitis major etc. vel symptomata nervosa: spasmi, dolores.	Comites hydrothoracis passivi sunt phaenomena torporis; defectus febris, frigus partium periphericarum.

Decursus communiter acutus.	Decursus chronicus.
Accumulatio fluidi plerumque ad locum irritationis restringitur.	Communiter anasarca.
Saepe sanguinis phlogistica natura.	Sanguinis hydraemica conditio.
Fluidum partibus plasticis dives est, saepe puriforme.	Fluidum abundat sero, estque pallidum, pellucidum.
Urina continet acidum lithicum.	Defectus acidi lithici in urina.
Curae antisthenicae utilitas.	Curae antisthenicae detrimentum, et morbi decrementum, imo salus sub methodo opposita.
Dispositionem praebent: aetas puerilis et juvenilis; individua sanguinica.	Disponuntur individua laxa, torpida, temperamenti phlegmatici, aetate provecta.

§. 14.

Summi momenti et pro instituenda therapia rationali absolute necessaria est distinctio, utrum hydrothorax initiante solummodo morbo, characterem activum aut passivum prae se ferebat, et utrum in periodo morbi evoluti phoenomena praebet status mere passivi, vel utrum adhuc etiam in stadio stationario symptomata reactionis continuantis hydrothoraci imprimant notam activam, (hydrothorax calidus veterum in oppositione cum hydrothorace frigido, torpido, atonico); non obstante enim origine hydrothoracis activa, irritatio et reactio, facta fluidi plenaria depositione silere, malumque restans (accumulatio fluidi) characterem passivum prae se ferre potest.

§. 15.

Momenta ad hydrothoracem praedisponentia sunt illa hydropsiarum in genere: a) aetas provecta, b) sexus foemineus, praecipue in annis pubertatis et climactericis. c) Individualitates eminentes temperamento phlegmatico, praevalente pinguedinis generatione, monstrosa corporis massa, ingenti pectoris convexitate (pectus quadratum); favente hoc habitu hydropico lubenter evolvitur hydrops tempore involutionis, urina parca et saturata evadente cutique parum perspirante. d) Vivendi ratio; victus male nutriens tenuis, potulentorum aquosorum tepide haustorum, praecipue spirituosorum abusus, mora in aëre humido corrupto conjuncta praesertim cum vita sedentaria. e) Influxus climatici et endemici, in regionibus profunde sitis uliginosis, generationi febrium intermittentium faventibus. f) Influxus epidemici, temporibus, ubi aër vaporibus aquosis dives observatur, sub nubilarum frequentia, temperaturae repentinis saltibus defectuque electricitatis aëreae.

§. 16.

Causae topicae Hydrothoracis generandi pares sunt:

a) Traumaticae: laesiones externae, costarum fracturae, concussiones organorum pectoralium.

b) Irritatio sthenica membranae serosae. Pleuritis et peripneumonia semper cum certo gradu exsudati membranae serosae incedunt; descrimen inde decisivum pleuritidem inter et hydrothoracem nec possibile est nec necessarium, cum haec species hydrothoracis tractamen stasi inflammatoriae conveniens sibi expostulet. Hydrothorax per antago-

nismum aut metastasim ortus, post acuta exanthemata, scarlatinam, morbillos, post exanthemata chronica cito curata aut retrogressa, post contractum refrigerium, hydrothorax metastasis rheumaticae, tandem illae hydrothoracis species, quae post retropulsionem arthritidis, fluoris albi aut excretionum habitualium oriuntur, decursum celebrant acutum vel subacutum et charactere notantur activo. Individua bronchorrhoea, phthisi pituitosa laborantia, aetatis provectae non raro ob transitum actionis hypersecretoriae ex membrana mucipara bronchorum ad illam serosae hydrothoracem patiuntur, ubi tunc secretio muci prius copiosa vel omnino disparet vel notabiliter minuitur.

c) Vitia organica cordis, vasorum majorum, pulmonum, hepatis, lienis, pancreatis, obstructio majorum truncorum venosorum frequentissimas praebent hydrothoracis (passivi) causas, unde etiam nomen hydrothorax organicus. Hydrothoracem ex vitiis cordis ortum, antecedunt signa organicae cordis mutationis, haecque signa, hydrothorace jam exculto, inter alia phaenomena huic ultimo convenientia translucent, et ope percussionis et auscultationis acuratius cognoscuntur; constitutio ejusmodi aegrorum est consuetim robusta, et hic praecipue prae caeteris symptomatibus eminent signa livoris et insultuum asthmaticorum; pulsus est plerumque fortis, durus, intermittens.

Inter vitia organica pulmonum phthisis praecipue hydrothoraci oriendo ansam praebet, qui frequentissime stadium ultimum phthisis claudit.

Consuetim orta suppressione diarrhoeae et sudorum, et praegresso pedum oedemate fluidum in cavo pectoris leniter accumulatur. Praesentibus phthisis signis vix ignorandis, dispnoea communiter est constans, nocturni vero insultus asthmatici rariores. Non

raro hydrothorax morte finit, quin tubercula emollita forent; non raro videre est in pulmonibus tuberculosis obliterationes venarum, quae in hoc casu proximam exsudati serosi causam praebent.

Quilibet morbus organorum pectoralium, qui circuli minoris impediendi, aut systematis venarum comprimendi aut obstruendi capax est, causam hydrothoracis suppeditare potest, uti; pneumonia, induratio, Lithiasis, melanosis, cancer pulmonum et pleurae, prava thoracis conformatio, curvaturae columnae vertebrarum, sterni, costarum, ossificationes cartilaginum costalium, compressio pectoris per fibularia, morbi majorum truncorum venosorum, struma etc.

Morbi intestinorum abdominalium qua potentiae hydrothoracem causantes, eadem agunt ratione, qua vitia organorum pectoralium, scilicet per impedimentum, quod circulo ponunt sanguinis; morbi hi frequentissime resultatus et reliquia sunt febrium intermittentium male tractarum, ascitidemque communiter comitem habent; saepe intumescentia organi abdominalis primarie adflicti manu tangi potest; complexum symptomatum hydrothoracis comitantur alia, quae organis abdominalibus morbose adflictis in acceptis referenda sunt, uti: habitus ictericus, cholopoësis vitiata, vomitus, diarrhoea, urina fusca cum sedimento roseo; saepe hydrothorax brevi ante mortem his symptomatibus accedit.

§. 17.

Non raro hydrothorax originem debet concitationi nervorum nimiae, quo casu tensio nervosa in formatione seri quasi exhauritur, et ita interdum paroxysmum asthmaticum, aut insultum hystericum sub specie spasmi pectoris repentina excipit seri in cavum thora-

cis effusio; similem quoque originem habet et hydrothorax agonisantium.

§. 18.

Sexus masculus asserente **Schönlein** hydrothoraci saepius est obnoxius quam sexus alter; praecipue subjecti sunt huic malo viri praediti thorace admodum convexo, dispositionis arthriticae. Intensio organorum respirationis, inhalatio vaporum nocivorum, qua momenta agunt praedisponentia. In nonnullis familiis hydrothorax haereditarius observatur. In regionibus humidis, uti Hollandiae, morbus hic fere endemiae notam prae se fert.

Decursus et exitus.

§. 19.

Decursus hydrothoracis activi et metastatici est sicuti ille morbi primarii acutus vel subacutus; hydrothorax autem passivus et organicus chronice decurrit.

Exitus in sanitatem praedicatur aucta organorum se- et excretoriorum actione, praecipue renum, cutis, membranae muciparae pulmonum cum simultanea functionis respiratoriae libertate; nonnunquam secretionum augmentum sponte insequitur; resorptio tamen seri in cavo pleurae collecti in genere difficilius contingit, quam in cavo abdominis et textu submucoso; recidivae admodum sunt frequentes. Periodica status emendatio, hinc inde regnante tempestate tepida et sicca insequens, quemadmodum et illa, quam aegri intrante pedum oedemate persentiscunt, nequaquam pro vera sanatione habenda est. Oedema pedum non raro per spontaneum fluidi stillicidium cum hydrothorace sanatur. Morbo metastatico modo orto, uti per retro-

pressionem inflammationis arthriticae impetiginosae etc. non raro conducit localisatio harum discrasiarum peripherica. Interdum facta etiam seri resorbtione, remanet adaucta muci ex membrana mucipara bronchorum excretio. Fluidum denique (praecipue si puriformem notam praesefert) musculos pectorales et tegumentum cutaneum, vel pulmones perforando, aut per metaschematismum via expectorationis extus eliminari potest.

§. 20.

Frequentior exitus est lethalis et quidem communiter per suffocationem, dispnoea prius magis magisque incrementa capiente, aegroque sub vehementibus asthmaticis insultibus non raro per plures hebdomades cum morte luctante; in aliis casibus aegri placide succumbunt per paralysim cordis vel pulmonum, saepe sub deliriis placidis, imo nonnunquam cum sensu status emendati, qui brevi mortem praecedit; in aliis casibus uno quasi ictu, praegresso validiori corporis motu, sub alvi depositione. Gangraenam quoque extremitatum febri junctam torpidae, aut repentinam bronchorum per mucum oppletionem, aut insultum asthmaticum, finem vitae posuisse observatum est. Nonnunquam mortem paucos dies praecedit sanguinolenta expectoratio.

Prognosis.

§. 21.

Inter omnes alias formas hydropicas, hydrothorax secundum effatum J. P. Frankii difficillimus est sanatu. Prognosis eo cautioribus limitibus est circumscribenda, quum non raro hydrothorax repentine et inopinate enecet. Dependet autem prognosis:

a) ab origine morbi; laetissima est forma activa et

metastatica, si illae morbo initiante antiphlogosis et revulsio opponebatur; extincto processu morboso et restante sero, qua morbi residuo, hoc serum praesente inertia resorptionis per paracentesim auferri potest. Minus laeta est prognosis in hydrothorace passivo, aut illis formis, quae insanabili desorganisationi, vitiis cordis, obliterationi venarum debentur, etiamsi et hi casus absolute lethales dici nequeant; omen malum praedicabis, si causa formationis seri detegi nequit; aetas provecta prognosim admodum limitat.

b) A symptomatibus concomitantibus; quo debiliora magisque occulta sunt organa excretoria, quo paucior urinae quantitas ab aegro missa, quo siccior cutis, intestinum, bronchi, eo pejus; eo laetius in casibus oppositis, praecipue si colatoria prius inertia, uno quasi ictu alacritatem nanciscuntur majorem, si praesente prius tussi sicca nunc loculenta contingit expectoratio, si eodem quoque tempore oedema pedum decrescit *). Mali ominis signa sunt: disparitio oedematis externi sub augmento dispnoeae, sensus torporis in brachiis, eorumque intumescentia, color cutis lurido-flavus, altus maciei et lapsus virium gradus, constans inquietudo et suffocationis metus, qui aegro nec momentum lectum custodire sinit, status soporosus, respiratio stertorosa, expectoratio cruenta. Influxu gaudent porro in statuendam prognosim: duratio morbi, ejus complicatio cum exsudato cavitatum aliarum, fluidi collecti quantitas, status

---

*) Interim notat Borsieri quantitatem urinarum missam interdum fallere posse. „Interdum tamen urinae copia fallax et decipiens signum salutis est, quando nimirum caetera symptomata non dissipantur aut respiratio brevi iterum opprimitur.“ —

pulmonum texturae et structurae (utrum nempe pulmo compressus ad recuperandum spatium prius, elasticitatem necessariam habet, nec ne), extensio morbi ad unum vel utrosque pleurae saccos. Baillie nec unum hydrothoracis casum pro longiori tempore sanatum se nosse asserit.

Therapia.

§. 22.

Accumulatio fluidi in cavo thoracis sicut in aliis hydropsiis productum est causarum, quorum efficacia, insequuta formatione hujus producti, vel extincta est vel adhuc continuat. Causae evanidae, uti: refrigerium, potus frigidus, paroxismi intermittentes vel nervosi, aut causae, quas auferre extra potestatem est artis, quemadmodum relationes epidemicae, desorganisationes quaedam, non sistunt objectum tractaminis. In casibus autem, ubi causa nociva adhuc agit et cognoscitur, cura causalis principalem constituit tractaminis partem. Curamus igitur restituere suppressas secretiones et retropulsa exanthemata; pathicam actionem metastaticam, e. g. arthriticam, per sinapismos, per antimonialia interne porrecta, sulphur, camphoram, opium, iterum peripheriae figere conamur; praesente diathesi scorbutica, porrigimus antiscorbutica, praesente diathesi syphilitica, ei correspondentia specifica; orto hydrothoraci ex stasibus organorum abdominalium resolventia, in speciem Calomelem opponimus; hydrothoracem ex vitiis cordis ortum, regimine diaetetico conveniente et digitali oppugnamus (in his casibus praecipue suadent nonnulli medici et non immerito applicationem setacei vel fontanelli in pectore); hydrothoraci ex degeneratione renum originem ducenti, mercurialia et diaphoretica prae caeteris conveniunt.

§. 23.

Si non est in potestate artis causam morbi remotam detegere vel auferre, cura causalis secundum characterem hydrothoracis activum vel passivum instituitur. Hydrothorax inflammatorius tractamen exigit quemadmodum pleuritis, antiphlogisticum; hic igitur venaesectiones iteratis vicibus, et deinde a Schönlein commendatus tartarus emeticus indicationem suam invenire possunt. Evanida autem reactione inflammatoria, et praesente solummodo ejus producto, scilicet exsudato, venaesectiones communiter nocent; etiamsi enim levamen transitorium aegro adducant, crasim tamen sanguinis hydraemicam augent, et brevi dispnoeam majorem, imo mortem ipsam causare consueverunt. Solummodo in iis casibus hydrothoracis, qui ex insufficientia valvularum cordis ortus, stase intercurrente pulmonum notantur, interdum necesse est parvam sanguinis quantitatem ex symptomatica indicatione auferre. Haec hyperaemia non raro cedit applicationi cucurbitarum cruentarum vel siccarum ad pectus, quae cucurbitae in genere in his casibus sunt applicandae, ubi de instituenda venaesectione in dubio haeremus, si nempe hydrothorax cum haemoptisi conjunctus incedit *). Interne porrigantur in hydrothorace activo nitrum **) Kali aceticum, Calomelas, digitalis sola

---

*) Asserente Schröder van der Kolk applicatio hirudinum vel cucurbitarum ad pectus, magnum semper levamen, praecipue in individuis junioribus pedisequum habet et ad augendam diuresim essentialiter contribuit.

**) Burchard et Hufeland commendant: nitri puri scrupulum unum, sulph. aurat. antim. granum unum m. f. p. d. s. ter de dic. Wolf combinationem sequentem laudibus extollit. Rp. Rad. Jalapp. scrpl. semis. Calom. gr. duo. Herb. digit. purp. gra. unum. m. f. p. D. s. omni trihorio talis dosis sumenda. —

vel in diversis combinationibus. Diaeta sit antiphlogistica. In hydrothorace charactere notato passivo, praecessa seri evacuatione statim methodus roborans restaurans adhibenda est, remediaque amara evacuantibus jungenda sunt (absynthium, Quassia, cortex aurantiorum, china imo ferri praeparata). Hydrothorax metastaticus exigit tractamen antiphlogisticum revulsivo copulatum; praecipue conveniunt hic Calomel, camphora, moschus et cutis irritamenta.

§. 24.

Indicatio directa hydrothoracis convertitur in evacuandum fluidum collectum. Si cum formatione retrogressa processus morbosi primarii, evacuatio simul producti morbosi non contingit, alacritas resorptionis et excretionis arte est promovenda: a) per impulsum secretionum artificialem. Hoc respectu hydrothorax majorem attentionem meretur, quam quaelibet alia hydropis forma, cum evacuationes repentinas et enormes collapsus virium excipere consuevit, proinde purgantia, ut evacuans fortissimum, in illa solum hydrothoracis forma adhibere licebit, si nulla alia ratione, evacuatio fluidi necessaria contingere potest, et ex alia parte aeger sufficientes possidet vires, tali tractamine minime exhauriendas. Colatorium convenientissimum hic merito renes suppeditant. Diureticorum principes sunt digitalis *) et squilla **); praeterea hoc scopo

---

*) Wendt sequentia de digitali pronunciat. „Es gibt in „dem ganzen apparatus antihydropicus kein Mittel, des- „sen Wirkung in adaequaten Fällen so überraschend und „so günstig hervortritt, als der rothe Fingerhut. Die „Digitalis muss man in kleinen Gaben reichen, niemals „bis zu sehr grossen Gaben steigen, und mit ihrem Ge- „brauche niemals zu lange fortfahren. Die Digitalis hilft

adhibentur, remedia balsamica: balsamus copaivae, balsamus peruvianus; aetheres, spiritus salis dulcis,

---

„entweder bald, oder gar nicht; sie wirkt sicherer, wenn „sie in kleinen Gaben gereicht wird; fängt man mit zu „grossen an, so tritt leicht ein collapsus virium ein, „das Mittel muss ausgesetzt werden und seine Wirkung „ist ganz verfehlt; ½ Scrpl. auf 4 Unc. höchst. 1 ganzer „Scrpl. auf 6 Unc. ist zum Anfange für die meisten Fälle „die geeignetste Gabe; der Gebrauch wird nach Mass-„gabe der Zufälle in stündlichen oder zweistündlichen „Zwischenräumen bestimmt. Leistet die Infusion nicht „die erwartete Wirkung, so bleibt noch der Versuch „mit der Substanz; oft habe ich die Digitalis dann erst „wirksam werden gesehen, wenn sie in Pulver zu ½—1 „Gran 2—3 mal des Tages gereicht wurde; ich verbin-„de sie dann auch mit einigen Granen Elaeosacch. menth. „pip.; in der neueren Zeit habe ich ein Gran Lactu-„car. Paris, oder ½ Gran Extr. hyoscyami hinzugesetzt. „Bei dem Gebrauche der Digitalis, muss der Kranke „sorgfältig beobachtet werden; treten Zufälle ein, die „von der Wirkung der Digitalis auf das Sensorium er-„klärt werden können, so vermindere man die Gabe, oder „setze das Mittel gänzlich aus."

Commendat praeterea digitalem in hydrothorace: Withering, Lentin, Darwin, Hamilton, Frank, Maclean, Berends, Percival, Mosing, Braestrup, Schlegel; propinatur autem digitalis a variis autoribus in varia combinatione. Wendt digitalem cum Zinco et senega conjungit. Berends tincturam digitalis aethercam cum tinctura chinae Huxhami junctam laudibus extollit. Rp. Fol. digit. purp. gra. duodecim. Flor. Zinci, Extr. hyosc. aa. gr. sex. Sacchar. lact. drach. duas. m. div. in dos. aeq. Nr. XII. S. täglich dreimal 1 Pulver (Wendt). Rp. Rad. Seneg. drach. unam. Fol. digit. purp. scruplum unum Inf. in q. s. aq. ferv. p. ½ h. col. Unc. 6. refriger. adde Lactucar. Paris. scrup. unum. sacch. alb. drachm. tres. misce solvendo. s. Zweistündlich ein Esslöffel (Wendt). Darvin non solum ex drachmis, sed ex unciis digitalis parat non solum infusum sed etiam decoctum. In hydrothorace phthisi juncto J. Frank

nitrum, liquor terrae foliat. tartari. ammonium succinatum, Colchicum, therebinthina, cantharides, tinctura

---

propinationem digitalis vel squillae vetat, et ad levamen aegro parandum ad summum dococta stip. dulcam. Rad. onod. spin. senegae etc. commendat.

**) Utut squillae, qua remedio diuretico magnae debeantur laudes, applicatio tamen illius cautissime fiat necesse est. — Nocet squilla praesente febre, erethismo vasorum, sub digestionis opere pessumdato, praesentibus stasibus abdominalibus, statu irritativo intestinorum, proclivitate in diarrhoeam sub diarrhoea, vomitu — optime respondet statui torporis. Utrum propinatio scillae adhuc continuari debet, ingressa jam nausea diversitas opinionum nondum est composita. Heberden tot grana expedire jubet, quantum ventriculus absque nausea ferre potest. Home tamen effectum scillae eo tutiorem pronunciat, si jam initio plures evacuationes per os et anum insequuntur. Wendt modum applicationis sequentem laudat: „Man soll sie nicht in getheilten Dosen im Laufe des Tages, sondern nur einmal, und zwar „Abends vor Schlafengehen geben, mit ½ Gran anfangen, und alle Abende um ½ Gran steigen; wenn nun „der Urin reichlich fliesst, oder wenn Würgen und „Erbrechen eintritt, so sinkt man mit der Dosis, oder „pausirt, und fängt dann wieder mit verminderten Gaben an.“ Autores, qui scillam magnis extollunt encomiis, sunt: Fr. Hoffmann, Lentin, Ludwig, Quarin, Stoll, Selle, Störk, Werlhof, Autenrieth etc. — Scilla praeter virtutem diureticam hoc habet prae caeteris peculiare, quod secretionem membranae muciparae bronchorum incitet expectorationemque liberiorem reddat. Exhibetur in forma pulveris vel extracti vel qua oxymel, quae ultimae duae formae mitius agunt, quam pulvis, qui levissime vomitum causat et diarrhoeam; lubentissime cum aromaticis aut amaris combinatur. Rp. rad. scillae grana quatuor, Calam. arom., Natr. carbon. dep. sicc. aa. drach. semis. Elaeos. junip. drach. duas m. f. p. div. in prts. aeq. sex. S. dreimal täglich 1 Pulver. Rp. Squill. recent. drach. duas, Pulv. cort. peruvian unc. unam et ½, Cort. aurant. condit. unc. semis; Inf. suff. q. veteris vini austriaci; stent in infus. frig.

nicotianae, aurum muriaticum. Jodina, pulvis asellorum, belladonna etc. Vomitus, qui ex usu horum diureticorum oritur, saepe aliquot tincturae opii guttis sopitur, quin necesse foret seponere ulteriorem horum remediorum usum.

Ex remediis hydragosis purgantibus a diversis medicis adhibita sunt in hydrothorace. Calomel (Simson, Lentin, Ratschy), Elaterium (Salius, Diversus, Ferriar grana quatuor), oleum crotonis, scamonium (Berends 6—10 grana), gummi guttae (Ayre exhibet in casibus urgentibus 10—12 grana in quatuor doses divisa, omni trihorio).

§. 25.

Fluido exitus paratur: b) derivatione seri erga extremitates. Magni momenti sunt hoc respectu rubefacientia in vicinitate oedematis pedum vel in ipso oedemate adplicata, involutio pedum oedemate correptorum foliis betulinis vel alneis, panno laneo vel panno serico tenuiori cereo, inunctio brachiorum et surarum cum tinctura cantharidum praecipue vesperi praecesso pediluvio tepido (Berends), lavacrum pedum, admixtis cineribus vel Kali caustico; vesicantia et fonticuli in extremitatibus adplicata, quibus magna seri quantitas evacuatur; remedia tamen haec ultima, quem-

---

p. 24. h. Colet. libra una s. Zweistündlich vor der Mahlzeit zwei Unzen (Stoll). — Sic dictum specificum Seckingenianum (Bergerianum) sequentem offert compositionem. Rp. Pulv. scil. comp., Rad. bryon., Extract. Elaterrii aa. Scrpl. 1—½ drachm. Electuar. Theriac. drachm. 1. Roob samb., Ebuli, Junip. aa. drach. sex. m. f. cum syrupo rosarum Electuarium s. Dreimal des Tages eine Kastanie gross mit drei Unzen einer Abkochung der sogenannten fünf eröffnenden Wurzeln zu nehmen.

admodum et a multis commendatae incisiones tenues vel scarificationes tumoris supra maleolos et in scroto hoc incommodum habent, quod vulnera tali ratione obtenta, facile in gangraenam abeant late diffusam; interdum tamen incisio una et profundior minus periculosa esse fertur, quam plures tenues superficiales, perstante identitate resultati (evacuatione fluidi) in utrisque casibus. Nunquam oedema pedum per ligationem aut quocumque alio modo repente est auferendum; imo facta illius disparitione et dispnoea simul increscente per vesicantia in pedes applicata derivatio ad extremitates iterum est instituenda. Simul porrigitur purgans.

§. 26.

Methodus tertia fluidi evacuandi in cavo thoracis collecti est c) paracentesis. Paracentesis eousque adhiberi non debet, quousque adhuc extat alius scopum assequendi modus, hoc absente nec ambienda nec in longum protrahenda est. Exprobrationes paracentesi factae, scilicet incerta hydrothoracis diagnosis, aëris in cavum thoracis per vulnus arte factum introitus, pro parte non in eodem gradu valent ac prius, excultis magis nunc arte diagnostica et operationis technicismo. Maximum emolumentum praebet paracentesis in illis casibus ubi agitur de auferendo producto processus morbosi extincti (inflammationis, metastasis); minoris est valoris paracentesis et nonnisi palliativum fert auxilium, si hydrothorax originis est secundariae, si accumulatio fluidi non topice ad pectus restringitur, si denique causa accumulationis agere continuat; institutam paracentesim communiter excipit notabiliter imminuta pulsum frequentia.

§. 27.

Durantibus insultibus suffocatoriis aeger in lecto vel extra illum situm assumat cum trunco erecto, pedibus e lecto demissis; in pectus et suras applicentur sinapismi, exhibeantur clysmata derivantia, clysmata ex asa foetida, fiant tepida pedum manuumque lavacra; interne porrigantur: flores Zinci, spiritus nitri dulcis, moschus, ammonium succinatum, opium cum Ipecacuanha, cum aqua laurocerasi, aqua cinnamomi etc.; inhalationes quoque vaporeae ex duabus partibus aetheris sulphurici et una parte tincturae opii confectae, sicut et inunctiones veratrinae in pectus institui possunt. Praesentibus convulsionibus applicentur hirudines ad tempora vel occiput, et interne porrigatur moschus dosibus majoribus (4—6 grana). In cura posthuma diuretica roborantibus jungenda et denique ultima mera exhibenda sunt; conveniunt denique rusticatio, motus admodum moderatus, regimen restaurans roborans.

Literatura.

J. Frank, praecepta etc. Part. II. Vol. II. Sect. I. pag. 676.

Copland, Encyclop. Wörterb. Band V. Seite 115.

Lentin, Beiträge. Bd. III. S. 87.

Trousset, Mém. sur l'Hydrothorax. Montpellier 806.

Schröder van der Kolk, Sammlung auserlesener Abhandl. Bd. XXXVI. S. 680.

J. B. Comte De l'hydropsie de poitrine et des palpitations du coeur, promptement dissipées par la digitale pourprée. Par. 822.

Medical repository. 1823. Nro. 10.

Naumann Handbuch der Klinik. Bd. I. S. 223.

H. Kennedy in Dublin Journ. 1839. Nro. 44.

Schmidt's Jahrbücher. Bd. XXVI. S. 45.

Williams Brustkrankheiten etc. S. 246.

Canstatt. Bd. I. S. 140 und Bd. III. erste Abtheilung. 4. Lief. S. 765.

Theses defendendae.

I.

Omne nutrimentum stimulat, ast non omnis stimulus nutrit.

II.

Non dantur morbi vere intermittentes hinc omnes sunt continui.

III.

Mercurius primum sed non unicum syphilidis remedium.

IV.

Physiognomia in instituenda morborum diagnosi semper summi est momenti.

V.

Hysteria est hypochondria in muliere, et hypochondria hysteria viri.

VI.

Auscultationis et percussionis utilitas nulla datur absque cognitione anatomiae pathologicae.

VII.

Systema gangliare tres habet nervorum species; motus, sensus et nutritionis.

VIII.

Dantur casus hydrothoracis, ubi paracentesis nec ambienda, nec absque aegri damno in longum est protrahenda.

IX.

Medicinae studium nonnisi morte terminatur.

X.

Diversissima quoad formam producta heteroplasiae identicae sunt originis.

XI.

Non datur discrimen scrophulosim inter et tuberculosim.

